

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationum Medicarum De Connubio Astrææ Cum
Apolline, Circa Medicinam Forensem**

De Inspectione Cadaveris In genere

Emmerich, Georg Emmerich, Georg

Regiomonti, 1710

VD18 1310747X-001

§. XXII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8856

§. XXII.

Jurati a. Medici in Nemesi Carolinâ requiruntur, plerisq; Juris Consultorum, præsertim Veterum id etiam exigentibus, cum testi non jurato sec. axioma juridicum non credatur, nec Peritis quoad effectum juris sine juramento, hinc nec Medicis, ne in favorem cujusdam renunciassent videantur, fides plenariè adhibeatur. Quod si tamen Medicus in Doctorem vel Licentiatum fuerit promotus & juramentum solenne in promotionis actu jam præstiterit, vel si ab initio officii publicâ Autoritate suscepti jam juraverit, vel si ad cadavera inspicienda & legitimè deponendum in specie vocatus fuerit & sub primo actu sacramentum dixerit, juramentum reiterare non tenebitur, sed primum ad omnes actus subsequentes extenditur. Clarissimis Astrææ Nepotibus, Apolline gaudente, rem ita decidentibus; Vid. Gail. Obs. III. n. 13. Brunemann. in Tract. de Process. fori de Testibus c. 20. n. 63. Carpzov. loc. cit. n. 40. Matth. Stephani & Classen. in Not. ad art. 147. & 149. C. C. C. Strykium l. c. pag. 67. n. 30. Consultum tamen fore, posterior hic inquit n. 32. ut qui ab initio officii juraverint, in actu inspectionis admoneantur istius juramenti, ad majorem curam & circumspectionem & sollicitudinem in inspiciendo adhibendam. De chirurgis peritis idem erit judicium, idemque quoad jus jurandum formabitur conclusum. Imperitis autem, licet centies juraverint & vel ipsâ testificatione ineptos se esse testati fuerint, fides nunquam erit adhibenda; Nulla enim per Deos Deasque præstito juramento conciliari poterit autoritas ac fides ruditatis evidenti i. e. Falsò si, prævè observata nunquam sacramento vera evadent, inquit laud. Bohn. de officio dupl. med. p. 544. In nostro casu Medici promoti ac Professores erant adhibiti, item Chirurgi jam Magistri societatis suæ i. e. Prinszen uti vocantur, qui fide digni & sine juramento sunt habiti.

§. XXIII.



§. XXIII.

Quæritur IV. Num unus vel plures Medicorum ac Chirurgorum ad inspiciendum cadaver, requirantur, & cuinam, si lis oriatur, plus credendum sit?

Resp. Unus quidem in arte exercitatus Medicus ad inspiciendum cadaver sufficit, ast si plures adfuerint, eò melius & confidentius rem suam peragere poterunt, plus enim vident oculi quam oculus, & alter alterum juvare poterit; hinc etiam unum saltem vel plures, si haberi possunt, Constitutio Carolina requirit, unicus etiam Chirurgus absque Medico sufficeret, si de ejus peritiâ hac in parte satis constaret, sed cum hæc rara avis esse soleat, vix uni soli chirurgo officium hoc committitur, sed Medicus semper addi solet & debet, ne Inquisitus ansam habeat dolendi & conquerendi de imperitiâ chirurgi aut de inspectione ob absentiam Medici minus legali. Medici autem qui actui huic inspectionis cadaveris interesse volunt, sint requisiti, rogati ac vocati, hinc communiter etiam in attestatis suis præmittunt formulam: Præviâ requisitione hujus vel illius. Turpè enim Medico, vel chirurgo, uti in aliis ejus actionibus, sic & hic non expectare vocationem, sed ultrò se immiscere arduo ejusmodi negotio, ubi de vita ac corio agitur humano, vix hinc πολυπραγμοσύνης vitium effugiet, si aliter fecerit. Quodsi tamen curiositatis gratiâ, ut aliquid addiscat, per dies vitæ enim artem ediscere & satis excolere aut perfectissimum sese reddere nequit medicus, ars enim longa vita brevis sec. Hippocr. aph. 1. utique inspectioni ac sectioni adesse poterit, dummodo non active sed passivè sese habeat, non Inspectorem sed Spectatorem agat, judiciumq; suum, nisi requisitus, de alterius actione suspendat, nec enim privato super privatum dictatura est concessa.

§. XXIV.

